DISPUTATIO CHIRURGICA

INAUGURALIS

DE

HERNIA CRURALI.

Jacobus Sanders

Joanni C. Ogilvie Medico

S.

Semper simus amici!

DISPUTATIO CHIRURGICA INAUGURALIS DE HERNIA CRURALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS SANDERS,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

ET SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAOR.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1805.

VIRO SPECTATISSIMO,

GEORGIO PATON,

ACADEMIÆ COMMERCIALIS EDINENSIS

INSTITUTORI,

QUI

NON SOLUM LITERARUM BONARUM DOCTUS

OPTIME DE SCIENTIÆ REBUS

JUDICARE POTEST,

SED

INGENIO INSIGNIS,

ARTES COMMERCII

QUO STABILITUM EST

PULCHERRIMUM HOC BRITANNIÆ IMPERIUM,

EXCOLIT ET INVENTIS PROMOVET;

HOC OPUSCULUM,

DIU IN STUDIIS LIBERALIBUS SOCIUS

DEDICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO CHIRURGICA
INAUGURALIS
DE
HERNIA CRURALI.

MEDICINÆ ATQUE CHIRURGIÆ principia eadem communia sunt; qui alterutra ignorat, neutram rem peritè facere potest: itaque, qui medicus fieri cupit, de re chirurgica scribere haud absurdum est, præcipuè qualis Hernia sit, quæ et scientiam et artem requirat.

Hernia hujus est naturæ, ut, et semper et ubique, inter mala, quæ mortales adoriuntur, fuisse oporteat: quamobrem medicis antiquis-

simis fuit observandum, quippè qui profectò philosophi omnibus doctrinis instructi erant, non qui nomina morborum tantùm, et medicaminum, interrogati repetere docebantur.

De intestinis demissis vel herniis, prænotiones et aphorismos edidit HIPPOCRATES; administrationes anatomicas, GALENUS. CELSUS, medicorum Romanorum scriptor facilè elegantissimus, scitè admodum de hac re, pro physiologia illorum temporum et anatomia, scripsit: sed scientiæ nostri sæculi perfectiores cognitionem æquè hujus rei accuratiorem, ac penè aliarum omnium, præbent.

Per herniam, quoscunque tumores partes è sedibus suis erumpentes formaverint, eos jure intelligere licet; ita interdum Herniam cerebri, diaphragmatis, mesenterii, dicimus: sed plerumque hoc vocabulum tumorem quendam è partibus per parietes abdominis protrusis factum significat. Ferè tumores hujusmodi aut inguine, aut scroto, aut labiis pudendi, aut superiore et anteriore femoris parte, aut intervallis musculorum abdominalium, aut meliùs fortassè, per fibras illorum abrup-

tas, extant; viscera diversa, ut ventriculum, uterum, hepar, liènem, vesicam, continere reperti sunt; et secundum, tum situm, cùm contenta diversa, varia nomina à Græcis imposita, quibus hìc recensitis minimè usus est, habuerunt.

Vocabulum *hernia* quidam ducunt à lingua Marsorum*: "Hernici dicti à saxis quæ Marsi *herna* vocant, Fest.; ideo fortè ita vocaretur à duritie pellis, quæ fit descendentibus in scrotum intestinis." Minimè tamen ita vocari à duritie pellis credo; sed quoniam, qui saxosas valles et montes colunt, propter scabra locorum, huic morbo obnoxii maximè reddantur, eodemque maximè afficiantur, eos qui "roscida rivis Hernica saxa†" colerent, maximè herniâ laborare; ideòque à causa ejus cognita, saxis nempè vel *hernis*, si hæc vera vocabulo fuit origo, nomen *hernia* tumoribus his inditum esse, magis probabile est.

---

* Vid. Lexicon Philolog. Thom. de Sacra Quercu, voc. Hernia.

† Æneid. l. vii. v. 684.

Ab ἔρνος, *ramus*, autem veriùs, ut ducit SCALIGER, derivari videtur; quoniam *ramex*, ab *ramus*, idem significare voluerint Latini: "Quum enim intestinum in scrotum incidere incipit, videtur ramum facere *." Utut, pro certo habemus hoc vocabulum, morbum, quem Herniam vocamus, eundem denotavisse, et inter Romanos verbum obscœnum fuisse. "Εντεροκήλην et ἐπιπλοκήλην Græci vocant," dicit CELSUS †, "apud nos indecorum sed commune his Hernia nomen est."

An apud antiquos tam multi laborarent herniis, quàm apud nos, minimè certiores facti sumus. Certè scriptores, ut VIRGILIUS, CICERO, SENECA, qui interdum morbos frequentissimos, inter pessima vitæ designant, verbo *hernia*, quantùm scio, nunquam utuntur, aut hoc malum certis notis designant: sed non solùm qui, sive de moribus, sive de rebus gestis, sed etiam qui de morbis scripserunt, hernias inter tumores duxerunt. Tamen quin

* Vid. Lexicon Philolog. THOM. DE SACRA QUERCU, voc. Hernia.

† Lib. vii. c. xviii.

viri, qui medici non fuerunt, quæ herniæ essent, scirent, haud dubitandum. Apud Ovidium *, et Juvenalem †, de hernia Nestoris legimus; et Livius ‡, in hac parte orationis Marci Servilii, qui Consul et Magister equitum fuerat, herniam scrotalem planè designat: "Ego ter et vicies cum hoste per provocationem pugnavi: ex omnibus cum quibus manum conserui, spolia retuli: insigne corpus honestis cicatricibus, omnibus adverso corpore exceptis, habeo." *Nudâsse deinde se dicitur, et quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse; quæ dum ostentat, adapertis fortè quæ velanda erant, tumor inguinum proximis risum movet; tum,* "Hoc quoque quod ridetis," inquit, "in equo dies noctesque persedendo, habeo: Nec magis me ejus quàm cicatricum harum, pudet, pœnitetque; quando nunquam mihi impedimento ad rempublicam benè gerendam domi militiæque fuit." Denique, cùm

---

* Ovid. Metam. xii.

† Juvenal. l. vi. ver. 325.

‡ Liv. l. lxv. c. xxix.

luxuriæ et famis extrema, et omnes herniarum causæ, antiquitùs essent æquè latè diffusæ quàm nostris temporibus, et hominum natura et fabrica æquè his opportunæ; herniis eodem numero illis fuisse quo nobis, opinor.

Medici antiquissimi, viscera varia per parietes abdominis repertâ viâ, sæpè e sedibus suis, sive impetu expelli, sive pondere devolvi, et ita tumores facere, optimè sciverunt: tamen superstitione ne attingant quidem cadavera prohibente, quæ nosse plurimùm intersit, discere non potuerunt: igitur hernias plerumque peritonæo rupto fieri crediderunt; non semper tamen, quoniam dicit GALENUS *, "Quinetiam robur hujus juxta inguina tendinis nonnunquam laxatur, et cum eo totus hic locus laxior redditus, partes nonnullas sibi corporum subjacentium in se recipit, veluti intestinorum, vel omenti, et hoc jam ramex aut *hernia* vocatur: jam hic tendo membranosus paulò supra inguina situm obtinet, ut

---

* De Anatom. Administ. tom. iv. c. vi. p. 119. à CHARTER. edit.

tenuis membrana peritonæum quidem dicta permeet, ac ea simul quæ ab ipso includuntur :" Et CELSUS * quoque, " Quæ modò ruptis tunicis, quas ab inguinibus incipere proposui, modò his integris fiunt, si quidem interdum, vel ex morbo primùm inflammatur, deinde posteà pondere abrumpitur, vel ex ictu aliquo protinùs rumpitur, tunica quæ deducere ab inferioribus partibus intestina debuit." Per multa sæcula de peritonæo in herniis rupto prævaluerat opinio : etiam, ineunte sæculo superiore, apud BONETUM † exempla proferuntur, ubi ruptum fuit peritonæum et ubi non. Nunc autem ‡ peritonæum, velut cuticula, expansu facile, ut unquam in herniis rumperetur, non necessarium fuisse scimus.

Iisdem de causis quoque ignorabant medici antiquissimi herniam congenitam, et illam,

---

* Lib. vii. c. xviii.

† Anat. tom. iii. de Herniis, Genevæ, 1700.

‡ MORGAGNI de Sed. et Cauf. Morb. epist. xliii. § 7. et 8.

de qua præcipuè scripturus sum, cruralem scilicet; quam, ni multùm fallor, quidam etiam nostræ ætatis non semper satis accuratè discreverunt.

Dies me deficeret, si enumerarem omnes, qui nuper huic rei operam dederunt: de quibusdam horum clarissimis, posteà erit dicendum.

Quid, ante nostram ætatem, de hernia aut cognitum aut creditum fuerit, quodammodo etsi quàm brevissimè, ut res admonuit ipsa, suprà ostendere conatus sum, ad herniam ipsam considerandam festinans.

Omnium herniarum plurima communia sunt, pauca singularum propria; sed quæ Herniæ Cruralis propria sint, ubicunque hoc necessarium videbitur, exponere mihi curæ erit. Hanc herniam, de qua scriberem, selegi, quia multæ res summæ, quæ ad eam pertinent, adhuc sub judice sunt, et quia optimorum auctorum de hac re opiniones perpendere volui, ut, videre si possem meliora, eadem probarem, et non deteriora sequerer.

HERNIÆ et *Acutæ* et *Vetustæ* sunt.

Acutæ haud rarò inopinatæ raptim occupant, dolorem maximum concitant, et ægrum nullo subveniente intestina strangulata et inflammata citò enecant.

Vetustæ cognito nullo casu se plerùmque ostendunt; et interdum per longam vitam neque molestiæ neque dolori magno fuerunt.

Harum herniarum alterum sui generis pessimæ, alterum mitissimæ, suprà protulimus exemplum; inter quæ extrema utriusque multos gradus videmus: hernias tamen prioris generis, quippè quod nostra plurimùm refert, multò accuratiùs designandum est.

Cùm primùm tumor herniosi sit strangulatus, pleraque signa infrà narranda se manifestant, atque laboranti si non succurreretur, plerumque in finem, ut dicemus, ruit.

Dolor tumoris magnus introrsùm abdomen totum pervadens, nausea, interdum cujusdam

stercorei vomitus, ructus: tædia vitæ tunc subeunt animos fractos, sensus interdum est funiculi quasi arctissimè superiorem abdominis partem, et sæpè umbilicum tantùm, vincientis; cutis arida, calida et sicca; fauces aridæ et admodum sordidæ, oculi sanguine suffusi, vultus rubescentes, febricitans valdè inquietus: quibus malis accesserunt nonnunquam convulsiones, vel tetanus ipse: intereà, pulsus arteriarum celeres et initio duri, citò tumor plùs dolet et rubet; abdomen nunc tenditur, et pressum maximè dolet; vomitus varius et multorum colorum crebrior fit; sudor totius corporis, alvus obstinatè adstricta, et ructûs vice singultus supervenit: vultus collabuntur anxii et perpallidi; pulsus perquam debiles fiunt, et mors instare videtur. Hæc signa non constant, nam modò graviora, modò mitiora sunt.

His rebus prægressis, nonnunquam dolor tumoris adhuc strangulati subitò remittitur, sed simul non dedolet abdomen, quia nondum regnat ibi gangræna: tumor sibi colorem liventis plumbi induit, tam torpidus ut notas

digitorum tactus retineat: cuticula partim decidit, vesiculæ parvæ subter cutem videntur; alias cruciatibus subitò remissis, et tumore sponte recesso, ægrotans se in salutem redire vanus credit: jam pallor labra, nares, palpebras, decolorat: oculi vitrei et concavi, spiritus pessimi odoris, et frigidus, singultus gravior et violentior fit, fauces minùs aridæ plurimùm sordibus subnigris fœtent, sudores frigidi corpus humectant, pulsus, etsi paulisper sint quàm anteà pleniores et molliores, tamen eodem tempore intermitti sentiuntur; denique violentissimè laborat cor, et pulsitat, dum arteriarum extremarum motus elanguescunt, deficiunt; extremæ corporis partes frigescunt:

"Olli dura quies oculos, et ferreus urget
"Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem."

Virg. Æneid. x. verr. 745.–6.

Plerùmque cùm pulsus arteriarum celeres debilesque sint, interdum non aliter quàm in valetudine bona sunt, licèt inflammatio portionem protrusam corripuerit.

Herniæ strangulatæ neque certo tempore neque omnes morte terminantur.

Ferè hernia intra octavum, post strangulationem inceptam, diem decursum peragit; sed sæpè multò citiùs; nam haud raró intra horam * XLVIII post eundem eventum herniosus mortuus est, et intestina in gangrænam veram abiêrunt primo post die quàm protrusa essent: Quidam profectò, ut affirmavit ELSE †, octavâ horâ postquam strangulatio esset aggressa, animam efflavit.

Aliàs tumor per sphacelum, aliàs per ulcerationem, decidit; et orificium, per quod alvus reddatur, relinquitur: mors sanè tali vitæ plurimùm anteponenda. Aliàs, ut hoc vulnus sponte per inflammationem adhæsivam paulatim coiret, et excrementa per anum proprium exirent, contigit.

Hernia cruralis, inguinali rarior, maximè fœminas, et ex iis, quæ Lucinam invocaverint, quàm quæ non, sæpiùs infestat.

---

* B. BELL. "Syst. of Surg." vol. v. ch. xxiii. p. 294.

† COOPER, p. 26. ch. ix.

Affectionis hujus horrendæ quamvis nemo generis humani planè immunis est, tamen omnes ad eam pariter proclives non sunt; nam in hac re, ætas, sexus, corporis habitus, copia, inopia, paupertas, divitiæ, plurimùm valent.

Id genus hominum utilissimum, quos ad laborem vitæ causâ tolerandæ necessitas cogitat imperiosissima, maximè et ob vitæ modum, et egestatem hoc malo afficiuntur. Quàm optimè quidem illi de patria sunt meriti, qui ut talibus miseris succurreretur, Societatem quandam Londini instituerunt! TURNBULL hujus societatis chirurgus sextam decimam partem hominum herniâ laborare computat*, cui assentiuntur quidam auctores magni nominis, GIMBERNAT, nempe, ARNAUD, et MONRO TERTIUS.

CAUSÆ herniarum, etsi variæ et contrariæ, tamen omnes vel parietes abdominales infir-

* Dr MONRO *jun.* "Observ. on Crural Hernia," &c. p. 2. 3.

mant, vel vim viscerum augent. Quarum præcipuæ sunt:

Actio musculorum subitanea et violenta:

Ictus in abdomen:

Infirmitas singularum partium, sive foramina naturalia musculorum abdominalium æquo laxiora:

Quodlibet ex visceribus abdominis seu pelvis ita magnitudine auctum, ut parietes abdominales distendantur:

Foramen per musculos abdominis morbo aliquo auctum:

Violentia periculosissima, sed debilitas quocunque modo orta, causa, longè frequentissima est. Astley Cooper chirurgus solertissimus vix unquam cadaver grandævi incidit, cui hernia, aut inguinalis aut cruralis, abfuit:

Nimium caloris et fatigationis, ut in regionibus calidioribus et scopulosis, ubi plurimi sunt herniosi:

Omnia, quæ abdomen nimis comprimant, ut vestimenta nimis arcta:

Omnia, quæ alvum adstringunt: Quibus adjiciantur graviditas, pinguitudo, stranguria, vomitus, tussis, vociferatio violenta, retentus diutiùs spiritus, cibus, qui ventrum inflat; cruditas, macies; tubas, buccinas, aut cornua vehementiùs inflare; sub gravi fasce esse; saltus, succussio, casus.

Quæ causæ hernias acutas, eædem vestustarum strangulationem efficiunt.

Quoniam partes quædam e sedibus suis dimotæ hunc morbum faciunt, nisi præter causas, quæ et opportunitatem et malum ipsum inducunt, cognoscamus quoque partium structuram, sedem propriam, positum, ordinem; morbus ipsè neque intelligi, neque distingui, neque judicari, neque curari potest; itaque illas res anatomicas hìc considerare haud alienum videtur.

Structura partium. Quædam aponeurosis tendinea firma et lata ex musculi obliqui

externi abdominis ima parte procedit, cujus fibræ crassiores inter se propemodum parallelæ obliquè introrsùm deorsùmque descendunt; plurimæ sunt quoque fibræ tenuiores, quæ illis transversè imponuntur, et sursùm segmentum circuli parvulum describunt.

Tendinis altera extremitas processui ilei spinoso anteriori, altera autem, quæ est inferior, ossibus pubis et eorum synchondrosi adhæret: hìc fit quasi chorda, ligamentum maximè referens, Pouparti vel Fallopii olim, nunc *arcus cruralis* dictum.

Hæc aponeurosis in columnas quasi dividitur canalem inguinis formatura, quarum altera ante chordam spermaticam, seu ligamentum rotundum, altera pone eandem transit, et cristæ pubis inseritur.

Tres fasciæ diversæ ligamento Pouparti connectuntur; quarum duæ internæ sursùm, una externa deorsùm, tenduntur: ex duabus fasciis sursùm tensis altera incipit ab arcu crurali inter os ileum et eam partem qua exeunt vasa femoralia; hæc musculum iliacum internum tegit, ligamento Gimbernati, et ossis

ilium cristæ adhæret, atque ad arcum cruralem firmandum multùm confert.

Altera tenuior ab arcu eodem incipit, et intrinsècus musculos abdominales tegit; hæc fascia se dividit initium canalis chordæ spermaticæ seu ligamenti rotundi datura.

Fascia externa, quæ deorsùm tenditur, est ea aponeurosis tendinea, quæ *fascia lata* et *tunica vaginalis* quoque appellata est, musculos femoris protegens; hæc fascia arcui crurali arctè conjuncta, femore recto eundem tendit, flexo remittit: Quamobrem crus chirurgo intestina reponere conanti antrorsùm flectendum.

Vasa sanguifera cruralia, lymphatica extremorum inferiorum, et tendines musculorum iliacorum internorum, et psoas magnorum, et intestina ipsa pone arcum, ubi hernia fit, cruralem exeunt.

Paululùm infra ligamentum Pouparti, eidemque conjuncta, ossi pubis proximè descendit aponeurosis triangularis duplicata antrorsùm sursùmque, quæ processui spinoso pubis inseritur ad summam symphysin pubis us-

que extensa, et quam arcûs cruralis *marginem interiorem* appellavit GIMBERNAT, qui primus omnium, ut videtur, quâ decuit curâ, has partes inspectavit.

Aponeurosis iliaci externi ita arcui crurali connectitur, ut hernia, præcipuè fœminis, nisi ad interius venæ iliacæ externæ latus fieri nequeat; quam inter venam et ossis pubis spinam est facta apertura parvula, quæ fœminæ quàm mari major est.

Vasa iliaca externa aliasque partes tendinea includit vagina, partim ex fascia lata, partim ex musculi iliaci interni aponeurosi, formata.

Vasa sanguifera iliaca externa majorem partem vaginæ orificii implent, idem orificium ab anteriore et interiore parte obstruunt vasa epigastrica ad rectum musculum abdominalem adeuntia; ab exteriore parte, chorda spermatica vel ligamentum rotundum.

Ferè arteria iliaca externa ab anteriore sua parte, antequam vaginam iniêrit, arteriam epigastricam; semper ab suo latere exteriore, postquam vaginam iniêrit, circumflexam dat.

Super hanc fasciam latam, quæ vasorum femoralium vaginam partim format, glandulæ inguinales situ triangulum quasi imitantur, cujus unum laterum secundum Pouparti ligamentum summo femore obtenditur ; quæ glandulæ maximæ in adipis magna copia dispositæ lymphatica extremorum inferiorum excipiunt, et in abdomen transmittunt.

Super has glandulas quandam fasciam aliam invenimus, quæ nihil est, ut opinor, nisi lamina substantiæ cellularis tegumentorum condensata ; hæc fascia et lata et firma musculos abdominales operit, et infra inguen se extendit, sed non inter glandulas inguinales, ut vult COOPER, peritura, quam ibi æquè densam, et multò crassiorem quàm femoris vaginam propriam vidi ; sed aliis aliâ firmitudine est. Hæc fascia, obiter, cùm solito densior sit, doloris, qui interdum maximus est, glandularum lue tumidarum facilem explicationem dat *.

---

* Prælectiones Anatomicæ Doctoris J. BARCLAY Edinburgensis.

His rebus cognitis ad quædam historiæ morbi consideranda meliùs parati sumus.

Si consensum insignem omnium inter se corporis partium memoriâ tenemus, cur, canalis alimentariæ sive viscerum cujusvis læsâ parte, omnia viscera, imò totum corpus, in morbum sæpissimè præcipitetur, et omnia indicia ilei vel peritonitidis simillima sint, facilè intelligemus.

Temperamenta et corporis habitus, ut herniæ inter se tempore, violentiâ, fine, differant, planè faciunt.

Si memoriâ simul tenemus abdominis parietum et foraminum stucturam et situm, viscerum omnium mobilitatem maximam, et causas quoque quibus illa afficiantur, quod firmitudine parietum vel etiam foraminum nimiùm diminuta, sive vi viscerum nimiùm auctâ, simulque causis admotis, hernia ibi abdominis fiat, ubi vis resistendi minima, cur miremur, causa non est: porrò vis illa resistendi, aliis partibus aliorum hominum, vel eorundem hominum diversis temporibus, nimiùm diminuta, ut cuique herniarum singu-

lis hominibus sit sua sedes diversa, vel eidem diversis temporibus, haud dubiè efficit.

Cur in hernia crurali viscera per aperturam ab interiore parte venæ iliacæ externæ tantummodò protrudantur, annuli cruralis notitia docet.

Cur matres quàm virgines sæpiùs herniâ crurali laborent, quis non videt?

De his rebus omnes jamdudum uno ore consentiunt; sed cur fœminas quàm viros sæpiùs invadat hernia cruralis, ratio simplicior, et ut opinor, verior, quàm plerique reddiderunt, reddenda est.

Eam aperturam, quæ *annulus cruralis* appellata est, fœminæ quàm viro longius ad os pubis versus ab vena iliaca externa introrsum extendi, ideòque hâc fœminis quàm viris intestina prolapsu faciliora esse, Monro tertius primùm, ut credo, comperit, eandemque primùm ita descripsit; quam sanè occasionem, cur fœminæ quàm viri hâc herniâ sæpiùs afficiantur, veriorem aliis esse, multis rebus credere inductus sum; nam si quis structuram annuli cruralis fœminini cum mascu-

lini illa composuerit, inter inspirandum annulus fœmininus latior, sed masculinus propterea angustior fiat oportere reperiet, quod depressis diaphragmate et intestinis musculi abdominales laxati longiùs a spina separantur, ideòque ligamentum Pouparti sursùm et antrorsùm attrahitur. Illustrandi causâ, finge tibi ex quovis flexili, ut filo, figuram ovalem, si separatis lateribus diametros brevior longitudine aucta fuerit, area inclusa major fiet; sed si longior, area minor: annulus scilicet fœmininus, figuræ tali, cujus diametros brevior fuerit longitudine aucta, comparandus; alteri, cujus longior, masculinus; ut inter inspirandum diametros brevior annuli fœminini longitudine augetur, contrà eodem tempore masculino eveniet. Cæterùm, annulus fœmininus ab masculino tantùm structura differt *, ut hernia cruralis supra venam iliacam externam viris facta fuerit, non sicut fœminis ab ejus latere interiore.

---

* Vid. Tabb. Doctoris MONRO TERTII ad finem opusculi de Hernia Crurali.

Quod pelvis amplior et arcus cruralis longior et laxior, ut dici solitum est, fœminas quàm viros ad herniam cruralem opportuniores reddant, haud evidenter patet; nam quò amplior pelvis, eò magis capiat, necesse est; et utcunque longus et laxus arcus sit, si nulla apertura ibi, si nulla via reperiatur, per quam elabantur viscera, nulla hernia ibi fieri potest; quapropter viscera inspirantis faciliùs in pelvim descendent, et minùs tum inter se cùm contra quamlibet partem, quàm pelvis si minùs ampla, arcus si minùs longus et laxus sit, comprimentur; quæ res, quò longior et laxior arcus, quò amplior pelvis, cæteris paribus, eò minùs herniæ cruralis esse periculi, ut opinor, ostendunt. Sin quis dicat, quò amplior apertura annuli, quò longior et laxior ejus ora, eò faciliùs per eandem exitura esse viscera, nemo non intelligere potest.

Annulus cruralis fœminis quàm viris longior, laxior et amplior est, et faciliùs ampliandus; unde fit, ut fœminæ quàm viri sæpiùs herniâ crurali afficiantur.

Vetustæ herniæ ut diu, etiam per longam vitam sine magno dolore aut molestia sint, habitus laxatus, annulus amplior et laxior, ut videtur, faciunt.

Deinceps, non solùm structuram partium naturalem ubi hernia fit, sed partes quoque dimotas, unde constat eadem, tumore nempè contentas, quæ ubi sitæ, et quomodo inter morbum mutatæ sint, novisse multùm juvabit.

Sacculus herniæ ex peritonæo, quod abdomen intrinsecùs tegit, protracto fit.

Plerumque sacculi herniarum vetustarum crassiores, interdum autem tenuiores fiunt; sæpè sacculi ulceratione deleti sunt.

Plerumque pars intestinorum mobiliorum quædam tumorem intus vel omninò vel partim facit, igitur tenuia sæpissimè protruduntur: cùm coli arcûs pars sacculo contineatur, ibi quoque partem omenti invenimus, sed pars omenti laxa quamlibet aliam intestinorum partem comitetur: itaque nonnunquam herniæ præcipuè obesorum et grandævorum non solùm portionem canalis alimentariæ, sed

etiam omenti continent. Nonnunquam omentum sacculo adhærens eundem in cava duo dividit.

Etiamsi rarò, intestinula cæca aëre distenta inveniuntur.

Præter portiones canalis alimentariæ et omenti tumores hujusmodi sæpè aliquantulum fluidi serosi aut aquosi continent, quod fortassè venis ab annulo compressis effusum sit; hujus liquoris natura secundum intestinorum sacculo contentorum statum variat. Sæpè magnitudo tumoris, præcipuè si amplus et vetustus sit, aëre incluso nunc diminuitur nunc augetur.

Interdum sacculus maximè ad collum crassitie auctus vicinis partibus adhæret, et ita herniam longam insanabilem format.

Sæpè paucis post strangulationem inceptam horis lympha coagulans super intestini partem protrusam effusa videtur, quam inter ejusdem tunicas simul effundi probabile est.

Omentum sæpè collo, lateri, vel sacculi imæ parti adhæret. Cùm res ita se habeant, con-

tenta neque reponi, nec tumor, aliæ ne partes descendant, premi potest.

Nonnunquam intestina fusca sunt, etsi nondum emortua. Gangræna ita intestina infirmat, ut laceratu quàm facillima fiant.

Herniæ cruralis, velut cæterarum, sacculus ex parte peritonæi ab intestinis protracta constat, sed quod non aliis, huic aponeurosis est tendinea, videlicet, quæ *femoris vagina* dicta est.

Interdum duo sacculi fuerunt situ varii *.

Plerumque herniæ cruralis sacculo portio ilei haud ita magna inest; interdum una pars intestini tantùm constringitur.

Tumor herniæ cruralis propter structuram partium propriam, ut suprà videndum fuit, in femoris superiore, anteriore et interiore parte situs est: iisdem de causis, et interdum quoquæ adhæsivâ inflammatione, minùs aliis herniis mobilis est.

---

* Calisen, vid. Act. Soc. Med. Havniens. vol. ii. p. 321.

Hey, "Practical Observations in Surgery."

Ferè tumoris collum arcu premente arctum est.

Ferè tumor hujus, quàm herniæ scrotalis minor, et aponeurosi femoris tendineâ premente glomus ab uno latere complanatum refert.

Interdùm tumor in arcum reflecti videtur, et ita repositu difficilior, et strangulationi obnoxior fit. Positum arteriæ epigastricæ quod ad sacculum ex ea iliacæ externæ parte, unde oritur, pendere oportet, quæ origo alia aliis est. Epigastrica interdùm ab iliaca externa in pelvi digitum transversum ampliùs supra annulum emittitur, ab eadem quoque interdùm epigastrica et circumflexa pelvis interna, intra pelvim per truncum communem *.

Arteria obturatoria plerumque ex iliaca interna oritur; interdum tamen cum epigastrica originem communem ducit †; quod vicenis quinis, ut putat MONRO TERTIUS, non ampliùs evenit ‡.

---

* MONRO TERTIUS, "Treatise," p. 64.

† RICHTER, MURRAY, MONRO TERTIUS.

‡ Pag. 65.

Interdum obturatoria unà cum epigastrica orta secundum latus sacculi exterius foramen obturatorium versus pergit. Doctor Barclay præparatum anatomicum habet, cui obturatoria sacculi collo sicuti annulus, circumdata est; cujus utpote notatu dignissimi tabulam dedi.

Ex Doctore Barclay, ut tabulam hujus præparati haberem, petenti, se hoc libentissimè concessurum benignus respondit; sed unum, ne faceret, obstare; idem, nimirùm, se concessisse amico suo Astley Cooper. Secum autem reputans nihil sui amici rationis me scire, nec scire posse, ut haberem, permisit.

Præter hoc, Joannes Thomson, Colleg. Reg. Chirurgg. Edinens. Chirurgiæ Professor, quædam alia habet, quorum eædem arteriæ eundem cursum tenent; et mihi ostendit Wardrope Chirurgus tabulam unius omninò similis, ex cadavere quod Lutetiæ incidit ipse.

Interdum arteriæ epigastrica et obturatoria ex parte iliacæ externæ eadem non per truncum communem procedunt.

Vidit MONRO TERTIUS * obturatoriam exire ex iliaca externa digitum transversum circiter supra epigastricam; vidit quoque epigastricam, obturatoriam et circumflexam summi femoris internam exire ex arteria femorali digitum circiter transversum infra arcum cruralem.

Has arterias, vel etiam earum ramulos, secuisse sæpenumerò lethale fuisse, scripta chirurgica docent: itaque earundum situm, positum, ordinem, et quomodo hæ res varient, scire maximi æstimandum.

Quæ mutationes inter morbum succedant, visa corporibus post mortem incisis optimè demonstrant.

Horum tumorum partes internæ lymphâ coagulante effusâ, et aliis inflammationis adhæsivæ effectibus inter se coalescunt.

MONRO TERTIUS talem tumorem herniâ crurali interemptæ inspectavit †, et intestini protrusi tunicas lympha coagulante utrinque ef-

---

* Pag. 67.

† Pag. 75. Vid. Tab.

fusa crassiores redditas sacculo cohæreri invenit.

Tumore post mortem examinato, dicit Cooper *, serum purum subter cutem reperitur; sacculus serum rubrum continet; intestinum fuscum est, cui nigræ insperguntur maculæ raræ; lympha ejusdem coloris effusa est; contenta per chordas haud ita firmas sacculo adhærent; pars strangulata aut ulcerata aut laceratu facillima est, et si latè inflammatum sit, aër telam cellulosam vicinam distendit.

Abdomen reclusum inflammatum fuisse reperimus; lineæ rubræ intestina pervadunt, quæ per lympham inter se conglutinantur; ex aëre intùs generato intumuit venter.

Sacculo persecto serum effluit purum, si fuerit recens strangulatio; si longa autem, fuscum, et sæpè mali odoris.

Herniæ vetustæ nonnunquam omentum schirro affectum, nonnunquam etiam hydatides continent.

---

* Pag. 20. cap. vii.

MORGAGNI de fœmina herniâ crurali interempta sic scribit *: "Ventre postridie adaperto, simulque herniæ sacculo retecto, crasso et in plures quasi tunicarum laminas non difficillimè dividendo, animadversus hic est a terete quidem ligamento uteri omninò sejunctus, ad cruralia autem vasa, quibus a latere interno adjacebat, annexus. Sub limbo (ligamento Pouparti) intercipiebatur pars aliquá proximi coli intestini, sic tamen, ut per hoc via satis pervia restaret; paries tantùm intercluderetur, qui sacculi orificium spectaverat. Is paries cum sacculo cohærens, erat niger et fracidus, proxima extra sacculum intestini pars viridis; virebant quoque, et gravè olebant, plerisque in locis interiores ventris parietes."

BONETUS † dat casum, a PLATERO relatum, consideratu dignissimum; qui admodum, quod

* Epist. xxxiv. § 15.

† BONET. Anatomiæ, tom. iii. De Herniis. Genev. edit. M.D.CC. F. PLATER. Observ. lib. iii. p. 756.

dixerunt et MONRO TERTIUS et COOPER, roborat, et quem, ni longiùs fuerit, hìc inserere voluerim.

Hæ res æquè, quæ de natura morbi diximus, confirmant, ac curationem ad considerandam nos instruunt. "Non est ars quæ ad effectum casu venit," dicit SENECA*; "sapientia ars est." Sed quomodo hernia cruralis ab aliis morbis dignosci possit, et an periculosa sit necne, priùs scire oportet, quàm de curatione agamus.

Molestia quædam circa inguen, quæ tussi, exercitatione, manu admotâ, augetur, habitus laxus, haud rarò herniam prænuntiant.

An tumor unquam fuerit ægro interdiu, sed non noctu, perquirendum.

Tumor subitò visus, situs ejus, sexus, quodammodo affectionis naturam ostendunt; commodissimum est autem experiri manu, quâ naturâ sit tumor, dum corpus variè flectat herniosus, nunc assurgat, nunc se resupinet.

---

* Epist. xxix. lib. vii.

Tumorem varium esse secundum contenta sentimus.

* Si intestinum descendit, tumor is mollis, resiliens, et quasi aëre distenditur, et interdum, quæ continet, inter se mobilia sunt, sine inflammatione modò minuitur, modò increscit; estque ferè sine dolore, et cùm conquiescit aliquis aut jacet, interdum ex toto desidit, interdum sic dividitur, ut in inguine exiguæ reliquiæ maneant; at si clamore, tussi, et satietate, et si sub aliquo pondere is homo nixus est, crescit; frigore omni contrahitur, calore diffunditur, estque tum inguen tumidum, et tactu leve, idque quod subest, lubricum est, si pressum est, ad inguen revertitur, dimissumque iterum cum quodam quasi murmure devolvitur, et id quidem in levioribus malis evenit. Nonnunquam autem stercore accepto vastiùs tumet, retròque compelli non potest, adfertque tum dolorem et inguinibus et abdomini: nunc vetusta in acutam mutatur.

* Vid. Celsum, cap. xviii. lib. vii., &c.

Si descendit quoque omentum, tumor nodosus et ferè major est, minùs violenta sunt signa, et alvus minùs obstinatè adstringitur; nunquam in inguine tumor tollitur, sive inedia fuit, sive corpus huc illucve conversum, aut aliquo modo collocatum: itemque si retentus est spiritus, non magnoperè increscit, tactu verò inæqualis est, et mollis, et lubricus; sed cùm sacculus stercore tumet, sæpè fit, ut haud multùm specie ab illo omentum continente differat. Itaque alia signa discriminis reperiunda.

Herniæ acutæ et vetustæ, quæque suis notis et nunc et anteà relatis, facilè inter se dignosci possunt.

An partes elapsæ inter se adhæreant necne, certæ notæ desunt.

Partium structura notitiam cruralis quàm cæterarum herniarum difficiliorem reddit; idem faciunt glandulæ morbo auctæ, et pus abscessûs lumbaris, quæ interdum rei chirurgicæ peritissimos fefellerint.

Quæ signa ex consensu partium oriuntur, eadem omnibus herniis sunt inter se præci-

puè, quâ parte abdominis quæque se manifestaverit, distinguendis.

Affectiones locales, quæ herniam cruralem maximè imitantur, sunt glandulæ inguinis lymphaticæ tumidæ, ima pars abscessûs lumbaris. Sæpissimè hæ glandulæ et lue venereâ, et scrofulâ, et cancro tumescunt.

Hernia a bubone venereo, tactu, suppuratione, plurimisque aliis indiciis separanda.

Bubo durus, nodosus, functiones intestinorum minimè afficiens, ferè inter glandulas inguinis superiores situs, prementi resistit. Bubo herniam imitans SABATIER semel fefellit *.

ELSE quondam tumorem herniæ cruralis pone glandulam lue tumidam miratus invenit †.

Ut adeps, et hydatides in errorem inducant, fieri potest.

Adeps, ut credo, PAREUM olim in errorem induxit ‡; nam post mortem cujusdam viri,

---

* *De la Médecine Operative*, tom. i. p. 147.

† *Lond. Med. Obs. & Inq.* vol. iv. p. 355.

‡ Lib. viii. c. xv.

cui feliciter, ut credidit, enterocelen curavit, corpus inspectavit, et substantiam quandam adiposam ovi parvi magnitudine sub peritonæi processum et partibus integris vix divellendam reperit, et sapientiam naturæ, ut fit, in sanatione perficienda, multùm collaudat.

Pareum in hac re errâsse ex rebus a Morgagni narratis, multò faciliùs credo, præcipuè ex illa*, "Sed ut bubonocelem aliquando mentiantur, ostendit Schulzii observatio, in viro in quo tantò facilior fuisset error, quod cùm esset macilentus, nemo tantam pinguedinis copiam vasis spermaticis adjunctam putâsset. Et quamvis præpinguis esset alter, quem dissecuit Petschius, tamen in proclivi deceptio erat; propterea quia pinguedo in substantia peritonæi cellulosa collecta, per annulos ad scrotum, non in utroque, sed in dextro duntaxat latere, eâ copiâ progrediebatur, ut ibi oscheocele esse videretur."

---

* Epist. xliii. § 10. tom. iii.

Specimen anatomicum in Doctoris Monro museo est *, cujus superiori femoris parti sacculus ovi magnitudine hydatidas continens, et herniam plurimùm referens ablatus est. Tumorem haud absimilem Manoury describit †, quem quidam chirurgus herniam esse credidit.

Pus abscessus lumbaris non semper psoas musculi cursum tenet, igitur cursu non semper cognoscendum. Abscessus lumbaris meliùs ita ab hernia crurali distinguendus, inflammatione lateris prægressâ cum nephralgiæ calculosæ vel nephritidis quasi doloribus, dolore moventis aucto, tumore pedetentim increscente, fluido quodam movente cùm quis alternatim lumbos et partem femoris superiorem et interiorem premat; tumore stantis, vel resupini cautè inspecto; denique alvo non adstrictâ.

Hernia cruralis ab inguinali eo differt, quod cruralis infra Pouparti ligamentum, in-

---

* Monro tert. p. 80.

† *Journ. Chirurg.* de Dessault, tom. i. p. 252.

guinalis autem laxior, rotundior, et suprà est.

Quantò violentiora sunt signa, tantò ferè periculosior morbus. Plerumque tamen si venienti occurramus morbo, periculum mortis tolletur. Spes sanationis partium malè habitarum perficiendæ minima est.

Quisquis structuram partium novit, quàmque necessariæ ad vitam sint partes interceptæ, et quàm citò partes sinceræ corripiantur, cruralem aliis herniis periculosiòrem esse facilè intelliget; eidemque plurima a nobis relata, et referenda, quæque hîc repetere aut præcipere nequaquam necesse est, aut spem aut periculum ostendent.

Venio tandem ad curationem. Ut de corpore concusso, variis modis collocato et converso, manu, sanguinis missione, enematis, thermis, fomentis, opiatis, fumo nicotianæ tabaci, et multis aliis, quid opus est verbis, quippe de quibus satis superque scripserunt chirurgi? Primò, pauca de notis, quæ vel spem vel pericula ostendunt, dicam; posteà

de tumoris sectione, de qua alii aliter opinantur.

Quò magis subitaneæ et minores sunt herniæ, eò faciliùs strangulantur.

Vetustarum intestina demissa facilè reponi, aut ita manere non strangulata possunt; vetustis tamen affecti semper in magno periculo habendi sunt; nam intestinis subitò protrusis protinùs sæpè subsequutus est dolor maximus, strangulatio, ileus, mors.

Omnia, ut vincula suffarcinata vel subligaria cautè his tumoribus applicanda, nam subsidii vice, quàm sæpè exitio fuerunt!

Partes propulsæ magnitudine nimium auctæ interdum reditum impediunt. In acutis, ne reducantur intestina protrusa, annulus eadem constringens plerumque obstat; in vetustis autem, collum sacculi crassius, et partium cohærentia.

Herniæ strangulatæ quo tempore scalpellus feliciter sit admovendus, difficillimum prædictu est.

Pulsibus arteriarum, ut verè dicit Doctor Baillie, non semper confidamus oportet, in-

flammationem præsentem et gangrænam instantem indicaturis.

Cæterùm, si angustior annulus est, quàm ut intestina commodè refundantur, sine mora, tamen cautissimè, incidendum est.

Vix ex ullis signis, an fuerit æger ad sanationem scalpello admoto perductus necne, judicari potest.

Licet abdomen doleat, pulsus vix percipiundi, vultus collapsi sint anxii, et singultus accesserit, ne ægrum desperemus; nam præsentibus his cunctis opus interdùm ex sententia cessit *.

Plerùmque primo, secundo, et tertio die, postquam strangulatio adorta sit, intestina emoriuntur: vel sexto pòst die, etsi rarò, feliciter secuerunt chirurgi.

In hernia sanè "priùs consulto, et ubi consulueris maturè facto opus est," nam dum imprudens moras innectis, imflammatio adhæsiva sacculum fortassè, vel etiam gangræna et sacculum et peritonæum intra abdomen, et

---

* COOPER, p. 27.

intestina corripiat; quo facto, nimirùm, de hernioso malè fortunato factum erit.

Vir ingeniosus admodum GIMBERNAT Hispanus, strictionis causa dirimendæ, proposuit, *ut arcûs ora interior secaretur*.

Sed hæc ora interior, vel ligamentum, quod secuit GIMBERNAT, ab oculis quodammodò recedit, et partibus feminæ vivæ, quæ suprà sunt, etiam peritissimè sectis, haud facilè cernendum: prætereà glandulæ, quibus sunt vasa sanguifera haud parva, vis adipis magna, hîc maximè opus retardant, et perturbant, si non omninò frustrentur. Hoc ligamento interciso illud Pouparti infirmatur, et periculum herniæ futuræ augetur; quia fibræ musculares obliquæ ligamentum Pouparti, quà ossi pubis adjungitur, quàm in alia parte ulla, sursùm majore vi, in inspiratione vellunt, et eodem tempore oras vulneris separant, et ne ad cicatricem perducatur, multùm impediunt: et licèt ad sanationem esset perventum, tamen annulum cruralem nunc quàm anteà ampliorem esse futurum, probabile est.

Doctor MONRO senior, nemini sive ingenio, sive doctrinâ inferior, viæ causa per angustias faciundæ, *ut ligamentum Pouparti obliquè sursùm scalpello umbilicum versus dividatur*, suadet.

Huic divisioni neque eadem neque tam magna objici possunt. Ligamentum Pouparti intercisu facilius est; hîc glandulæ haud multùm obstant, et hîc fibræ musculares agentes, ne cicatrix fiat vulneris, minimè quidem impedire queant: quod ligamentum scalpello si intercidatur, omnis strictio annuli cruralis tollitur, idem ligamento Gimbernati diviso, ut videbimus, non fit.

Interdum arteria obturatoria ex iliaca externa oriens, sursùm ad os ilei versus, deinde deorsùm se circumflectit, et sacculi collo annulus quasi circumdatur *.

Hîc scalpello admoto mors fugienda undique perniciem hernioso, et infamiam chirurgo minitatur; hic tamen chirurgus peritus integris peritonæo ideóque arteria illa liga-

* Vid. Tab.

mentum Pouparti intercidere posset, minimè autem ligamentum Gimbernati.

Interdum pars femoris tunicæ vaginalis, quam partem Hey * *ligamentum femorale* nominat, sacculum constringit; tali in casu ligamenta neque Gimbernati neque Pouparti proderunt secta. " Ligamentum Pouparti multò faciliùs divisu est," dicit Hey †, " quàm femorale; sed hoc solum atque unicum divisum partes prolapsas liberare potest:" quæ res utique notatu dignissima est et utilissima; tamen hernia cùm sit maxima, eò anteà intensa sunt ligamenta et Gimbernati et femorale, ut demum sacculum minimè constringant; et nihil, nisi ligamentum Pouparti divisum prodesse possit; et verò in pagina proxima ‡ Hey ipse, quæ, quod dixi, confirmant, refert.

Prætereà quando ligamenta Pouparti et Gimbernati eundem circulum formant, altero diviso alterum laxatur. Quoniam autem sæpè

---

* *Pract. Observ. in Surg.* p. 151, 2, 3, 4, &c.

† Pag. 156.

‡ Pag. 157.

inutile, semper periculosissimum, ligamentum Gimbernati secare est, at faciliùs et visu et intercisu est ligamentum Pouparti, hoc intercidere semper meliùs erit, simulque commodiùs et maximè salutare. Mihi quidem videtur, ut chirurgus, quâ decuit scientiâ institutus et instructus, hanc sectionem facere possit, vasis sanguiferis, quomodocunque sint distributa, integris; nam si quis cautè et paulatim secet, ad peritonæum usque non læsum penetrare, deinde idem indice digito alterius manus adjuvante deprimere, itaque cum ipso, quas circumvolvitur et continet, cùm arterias tum venas facilè evitare potest.

Ex quibus omnibus concludere licet, Quandocunque annulus cruralis angustiarum causa est, ligamentum Pouparti dividi oportere.

Hîc altera quæstio nobis in mentem venit, Anne angustiis dilatis sacculus incidatur, ut plurimi volunt chirurgi, oportet?

Idem Doctor Monro senior, quem de hac re summa cum voluptate audivi, multis argumentis et factis hoc non solùm rarissimè ne-

cessarium, sed etiam semper periculosissimum esse ostendit *.

Thema hujusmodi, ut omnia de hac re repetam, non poscit; cur equidem facerem? nam quotusquisque illius neglecto meum opusculum legeret? Pauca tantùm ut infrà, veniam poscens, excerpsi.

Sacculum secare sæpissimè lethale esse, fatentur chirurgi maximi:

Sæpissimè perire animalia sana canalis alimentarii portione, tametsi non sacculo major fuerit, manibus tractata et aëri expositâ:

Sive tendinem, sive peritonæum secare, rarissimè si unquam, mortiferum esse, multæ res et exempla quæ protulerit, demonstrant:

Ergo herniosis neque tendinem, neque peritonæum secare, sed intestina tractare, et iisdem aëra admittere, perniciei fuisse.

Sed minimè dico aëra stimulum tam validum et fortem esse, qui intestinis sanis noceret

---

* Vid. *Appendix to Dr* MONRO *junior on Crural Hernia*, or *Dr* MONRO *senior on Bursæ Mucosæ*.

admissus, tantùm iisdem inflammatis, irritatis, tractatis.

Pater Anatomiæ apud Scotos, aëra intestinis herniarum admittere periculosum esse, et sacculum non nisi rebus planè desperatis secandum, olim docuit*; cui addetur PETIT Gallus.

Porrò intestina aliis modis usitatissimis cùm in cavum proprium redierint, de sacculo non patefacto minimè solliciti sumus; cur tandem, si nullis his modis redierint et sectio necessaria sit, tunc demum sacculum non patefactum metueremus. Nonne, ut angustiæ scalpello amoveantur, satis est? minimè respondent nonnulli, nam ne chordæ intra sacculum transversæ contenta implicent, ne ipsa sacculo contenta inter se adhæreant, et gangrænâ afficiantur, ne quædam pars sacculi contracta, ne aqua fœtida sit intus effusa, metuendum: prætereà in ostio sacculi haud raró et inter intestina protrusa strangulatio fit, et

* Vid. Opera Doctoris MONRO PRIMI, à Filio edita, p. 550.

sacculo intestina adhærent: quibus de causis quo in statu intestina sint, aperto sacculo videndum.

Verùm, hæc omnia mala æquè ante sectionem ac post eandem, fuissent: ergo, nunquam intestina non secta, spectata, tractata, in abdomen reponenda!

"Incidit in Scyllam dum vult vitare Charybdin."

Ut dubia perspicuis illustrentur, dicit Doctor Monro senior, viscera manu seu taxi putà non in abdomen recesserunt et in ægris ducentis secare necessarium est, quorum parti quartæ intestina ita strangulantur, et inflammantur, ut necessariò in gangrænam ruant, sed tribus partibus relictis sanatio probabiliter fiet.

Sacculis omnium patefactis, primæ partis quartæ, unus et alter fortè non ampliùs superstites erunt; reliquarum triginta vel quadraginta: sed divisis cute et tendine tantùm, certè omnes gangrænâ affecti, ex reliquis autem decem aut viginti non ampliùs hoc malo perituri.

His argumentis complures annos usus denique rei periculum facere decrevi : et periculum illud quatuor herniosos, qui in extremo discrimine videbantur, morti eripuit.

Astley Cooper *, cujus auctoritatem plurimi in hac re facio, rationem Doctoris Monro, ut optimam omnium multis laudibus extulit.

Cùm tamen gangræna partes tumore contentas occupaverit evidentissima, sacculo patefacto haud dubiè opus est.

" Cuncta prius tentata : sed immedicabile vulnus
" Ense recidendum, ne pars sincera trahatur."

Ovid. lib. i. fab. vi.

" Non quod certa fiducia sit, sed quod dubia spes certa desperatione sit potior †." " Omentum quoque, si quid ejus tumore insit, considerandum est, ex quo si quid jam nigri et emortui est, forfice excidi debet." In hoc, ut in plurimis aliis, Celsus Hippocratem se-

---

* Pag. 46.

† Celsus, lib. vii. cap. xvi.

quitur, qui dixit, "Si omentum excidat, necessariò putrescit*." Quod suadet CELSUS, experientia confirmavit. Sed si, finem inflammationis sine grangræna, cur speremus, causa quàm minima adest, intestina in suas sedes intacta deducantur; et ne nimiùm credamus tumoris colori, nam color non plumbeus aut lividus, sed labeculæ nigræ gangrænam verè indicant.

Quæ res omnes, ut opinor, docent, Sacculum nisi planè gangrænâ affectum non incidi oportere.

---

* GALEN. in *Aph.* Comment. vi. Aph. lviii.

FINIS.

TABULA PRÆPARATI.

Vid. Pag. XXVIII.

a Arteria Iliaca Externa.

b Epigastrica.

c Obturatoria.

d Initium Sacculi intra pelvim.

e Sacculus extra eandem.

f Vertebra lumborum ultima.

gg Ossa Ilium.

Vid.

